



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 135. Apologia Joannis de Rocha pro Joanne Parvo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

tibus, idque ex pluribus rationibus ne-
 gat, inde vero concludit, Gersonium in-
 justum ac temerarium, atque ad palino-
 diam cogendum esse.

Sæcul. XV.
 A. C. 1415.

§. CXXXV.

*Apologia Joannis de Rocha pro Jo-
 anne Parvo.*

Joannes de Rocha Minorita, Doctor To-
 losanus, & Joanni Parvo confratri
 suo amicissimus, Gersonium quoque la-
 cessere aggressus est. Hic enim in qua-
 dam Dissertatione docuit, hæc proposi-
 tiones, utpote Philosophicas, aut Mora-
 les ad Concilii forum, cujus tantummo-
 do de fide judicare esset, non pertinere,
 nec inferioribus judicibus, imo nequidem
 generali Concilio auctoritatem compete-
 re damnandi doctrinam aliquam, nisi
 prius ab Ecclesia damnata fuisset, eo-
 quod hæc censeantur esse causæ majores,
 quæ Sedi Apostolicæ reserventur. Huic
 Gersonius respondit, falsum, imo hæreticum
 esse, asserere, quod doctrina moralis ad
 fidem non pertineat, ostendit quoque,
 omnem propositionem in Sacris literis,
 vel expresse contentam, vel per legitimam
 consecutionem deductam esse de fide,
 propositionem vero contrariam errorem
 sapere, denique judices ordinarios,
 ut errores etsi necdum ab Ecclesia

*Gerson. l. cit.
 p. 406.*

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

clesia damnatos proscriberent, auctoritate pollere; Hæc asserta, quæ pluribus comprobant exemplis, Episcoporum & Ordinariorum jus hæreses in locis sibi subjectis exortas damnandi stabiliunt. Huic Articulo Joannes de Rocha prolixum opposuit responsum, & se Virum præstantem, atque arte dialectica valde instructum monstravit.

§. CXXXVI.

Gerfonius errorum in fide accusatus.

Gerfon.
p. 439.

Cum Gerfonius in hac causa primas egisset partes, etiam contra ipsum Ducis Burgundi fautores acrius insurgent. Novas igitur Viro parant artes, & ut eum in fide suspectum redderent, plures errores fidei contrarios in suis libris docuisse insimulant. Episcopus Atrebatensis hos errores contra Gerfonium in viginti quinque articulis exposuit, quos tamen ipse Gerfonius vindicavit, sed hæ ipsæ illius vindiciæ novos procreabant adversarios, quos inter præcipuus fuit Joannes de Rocha. Nos impresentiarum solum Articulos exhibemus. I. *Quilibet homo cum discrimine vitæ suæ occasionem potest nancisci tyrannum occidendi.* II. *Fieri potest, ut homo in causa religionis ad judicem suum citatus, jusjurandum præstare recuset, licet in fide maneat.*